

Hoch

Se

Cathedra-  
tico.

(1764)





E. 18. num. 28.

20  
CAROLI GOTTLLOB KOCHII D.

D E

CATHEDRATICO  
LIBELLVS SINGVLARIS

---

A D

VIRVM SVMME VENERABILEM

IOANNEM DIETERICVM  
WINKLERVM

S. S. THEOL. DOCT. PAST. AD DIVI NICOLAI  
AEDEM, ET SCHOLARCHAM, HAMBVRGI.

P. 383

Fr  
3504



---

LIPSIAE  
LITTERIS IO. CHRIST. LANGENHEMII.

СЛОВАРЬ  
ОБЩЕГО  
СЛУГИ БОГА

СЛУГИ БОГА

СЛУГИ БОГА

СЛУГИ БОГА

СЛУГИ БОГА

СЛУГИ БОГА



## P R A E F A T I O

*De usu graecae linguae in Iure Canonico.*



**D**e *cathedralico*, ex sententia auctorum iuris canonici atque ecclesiastici, peritorum, scripturo, non absonum mihi videtur a re praesente, in limine libelli, usum linguae graecae in libris iuris, ad Canones ecclesiasticos pertinentis, breuiter adstruere. Multae enim in huiusmodi generis tabulis occurrunt voces, non latinae, sed graecae originis. Hinc quaeri facile a non nomine poterit, num omnia ista recte tolerentur, an eliminanda illa, atque in romana vocabula de graecis conuertenda sint. Sunt alii quidem nihil haec, quaeque his sunt similia, curantes, parumque de eo solliciti, an graece, an latine scribatur quidpiam. Sed nimis scrupulose reliqui agunt, in romano scribendi usu omnia fastidientes, quae romana non sunt.

Decernunt in hac quaestione viri doctiores rem varia ratione, siue nostrae aetatis tempora, siue superioris et antiquioris temporis monumenta respiciamus. Nec hoc mirum est. *Tullii* etiam aetate diu multumque disputabatur de eo, num recte Graecis latina, et Latina graecis vocabulis sint miscenda. Disceptabatur de Philosophiae doctrina; num patro sermone, an graeco, sit tractanda. Quo super argumento prolixe suam dicit sententiam *CICERO*, sub initii libri prioris, ad Brutum *de finibus Bonorum et Malorum*.

4 *Num Graeca latinis misceri recte possint?*

*Malorum perscripti.* Neminem poenitebit haec legere, siquidem Cicero recte et facete ibi statuit, sermonem patrium grauissimi res argumenti, aequo commode de graecis conuersas, continere atque capere posse, vti fabellae latinae, ad verbum de graecis expressae, legitur, atque lectores delectent. Iuuat hoc nostra aetate, atque docet philosophos, patro sermone in libris suis, solidioris doctrinae argumenta continentibus, deque philosophia praeципientibus, recte vtentes. Sed haec nihil ad me. De eo potius quaeritur, quid *Cicero* de promiscuo sermonis patrii, et graeci, vsu statuat? Hic sibi non semper Tullius constare videtur. Verissimum quidem, et vel illis notum est, qui eius scripta tractant, vel euoluunt, grauissimum hunc inter Romanos scriptorem, saepenumero graecas adhibere voces \*), vbi copiose, et grauiter, quid dicendum aut scribendum erat. Fatetur ipse, multa occurrere in recto scribendi genere, vbi graeca in auxilium sunt vocanda, si rotunde et sine verborum ambagibus, atque ambiguitate, quaedam exprimenda sint, quae ambiguitas nostris *aequivocatio*, sed non perite et docte satis, dicitur.

Discedit vero ab his ipse *Cicero*, vbi minus ample atque praeclare de sermone graeco sentit, et illos ridet, qui graecam linguam copiosiorem dicunt, quam latinam, et denique (*Lib. III. Tuscul. Quaest.*) exclamat; *O verborum inops interdum, quibus abundare te semper putas, Graecia!* Quin immo alia occasione (*Lib. III. de Fin. Bon. et Mal.*) in hanc erumpit vocem: „Saepe diximus, et quidem „cum aliqua querela, non Graecorum modo, sed etiam eorum, qui „se Graecos magis, quam nostros haberi volunt, nos non modo non „vinci a Graecis, verborum copia, sed esse in ea etiam superiores.“ Hinc ibidem etiam, ne Graecis aliquid largiatur pluris, quam ipsi par videbatur, e vestigio scribens addit: „Quanquam ea verba, quibus ex instituto veterum utimur pro latinis, vt ipsa Philosophia, vt rhetorica,

\* ) Exempli loco illud est, quod *Cic.* in medium adducit, vbi affirmat, graecum vocabulum *Sotera*, latino uno verbo exprimi non posse, sed de graeco in latino sermone ita exprimendum esse: *qui salutem dedit.* Ad quem locum *MANTIVS* praeclara multa commentatur. Quin etiam elegans est b. *BENGELII* ad *CHRYSOST.* de *facerdotio* obseruatio in notis p. 451-458. *CIC. Verr. 2. 154. c. 63.*

rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica, quanquam latine ea dici poterant; tamen quoniam vſu percepta sunt, nostra du-  
camus., Haec omnia eum in finem scripta sunt, quo sua latino ser-  
moni concilietur auctoritas, ac sibi constans permaneat. Pro re  
vero nostra etiam inde efficitur, multa latinis immixta graeca voca-  
bula, vſu percep̄ta, in quocunque doctrinæ genere adhiberi posse,  
imprimis, vbi concinnitas, breuitas, et grauitas dicendi scribendi-  
que, id, suo quasi iure, postulare atque exspectare videatur. Hinc  
Latium, vti inter omnes constat, ex Graecia multas repetitas voces,  
ciuitate donauit domestica, atque inter graecum sermonem latina  
nunc reperiuntur vocabula, pari ratione et iure, pro graecis ducenda.

Si quoque dicendum est, quod veritas postulat, facilius est sta-  
tuere, graeca in canone ecclesiastico multo magis tolerari vocabula,  
licet nouitatis speciem, vſumque habeant, quam latina plurima, bar-  
bare sonantia. Excitatur etiam, hac de causa, virorum doctorum,  
in hoc studiorum genere occupatorum, ingenium studiumque, grae-  
ca legendi atque accurate discendi, ne, pro more hominum desidio-  
rum exclamat: *Graeca sunt, non leguntur!* Qualis generis desidia  
olim audiebatur, vbi, nec sacrorum antistites graecas discebant lite-  
ras, easque quam diligentissime auersabantur \*). Sed de his plura  
dicendi, hic locus non est. Sufficiant haec in antecessum praemo-  
nere, atque Iuris Canonici auctores, ex hac saltem parte, excusatos  
habere; et, si etiam in hoc scribendi genere aliquid peccassent, multo  
tamen excusatius peccarunt, quam alii, vbi id imprimis illos defen-  
dit, quod iis temporibus scripserint plurima, in quibus inter fines  
imperatorum, coetui puriori praefectorum, atque eiusdem episco-  
porum \*\*), graeca lingua continebatur, atque in illa ciuiles et sacrae

## A 3

\* ) Quin et graecæ litteræ, originæ  
omnium errorum, olim et genitrix sic  
dictarum haeresium, habebantur. Cuius  
rei, praeter reliqua, affert testimoniū  
b. meus pater, post fata a me ve-  
nerandus, in *Obsernat. Miscel. T. III.*  
p. 299. Lips. 1717. 8. fine nomine au-  
toris editis.

\*\*) Hac de causa Constantinus M. vo-  
catur ἐπίσκοπος νομοῦ ἐκ οἰς καθισάφενος. Ita

res,  
salutatur pius ille Princeps, apud EVSE-  
BIVM in libris de vita Constantini I. c. 37.  
Alia occasione, vbi scilicet *Constantinus*  
episcopos conuiuio excipiebat, se quoque  
episcopum esse dixit, his verbis vſus:  
Vos, inquit, in iis, quae intra ecclē-  
siam sunt, episcopi es̄tis: Ego vero in  
iis, quae extra geruntur, episcopus a  
Deo sum constitutus. Lib. IV. c. 24. p. m.  
ed. Cantab. 688.

6 Non improbatur Graeca vox in Iure Canonico obvia.

res, ex mandatis principum, eorumque auctoritate summa, agebantur.

Quod enim in iure ciuili accidebat tunc temporis, illud simili casu in rebus ecclesiasticis euenire necesse erat. Inspiciamus modo leges ab imperatoribus, ad dicendum ius in prouinciis latas, vbi Constantinopoli summum erat praetorium, et rerum ad ciues pertinentium, regimen supremum, nonne plurima graece edicebantur, et scribebantur? *Nouellae* etiam *Iustiniani*, sacratissimi quondam dicti principis, *constitutiones*, *Authentica* quae nominantur, graece omnes fuerunt conscriptae, et deinde ab *Anonymous* quodam interprete in linguam latinam ad verbum sunt translatae: Licit liber, qui iam *Nouellarum* audit, *Iuliani* antecessoris opus sit, atque cum *Authentico*, quod nominatur, principis non confundi debet, quanquam differentia inter vtrumque, essentiam rei non tollit, eamque ingreditur, sed eandem vtrumque opus continet legum rationem et naturam. Hinc *Cathedraticum* etiam in *Nouellis*, 123. C. si quis a. *episcopus* 3. legitur. Pari passu, cum iure ciuili, canonicum plurima ex parte ambulat, ab iisdem principibus, quoad prima eius principia adornatum, postquam puriora sacra amplexi eademque professi fuerant.

Sed amplius haec non moror, et suo quemcunque ingenio abundare sino, in contrarias euntem partes.

Ad rem meam potius accedo, atque, ex ordine quae tractanda sunt, hic significanda puto. Natura vero rei postulat, ut de *cathedra* ante omnia, quae modo huc pertinent, exponam. Ad eam scilicet respicit *Cathedraticum* nostrum. Quia vero ex profana disciplina, ad sacram rem, translata est *cathedra*, non inutile, nec iniucundum erit, de vtraque aliquid proferre, quod ad rem meam recte conficiendam, plurimum valet. Post ea denique facile erit definendum, quid *Cathedraticum* illud fuerit, vbi dicendum erit aliquid de *Cathedratico*, quod *enthronisticum* appellatur, atque de eo, quod *dioecesanum* audit.

SECT.

S E C T. I.

*De Cathedra Veterum ex Auctorum probatorum sententia.*

§. I.

*Origines graecae vocis, de qua hic agitur.*

Varius *cathedrae* fuit olim usus inter Graecos aequa atque Romanos, ut testimonia, ex iis allata, loquuntur. Non tamen ita seiuncta aut seposita eius fuit ratio, ut non sine maiori difficultate, varia eius natura coniungi atque copulari posset, sed optime omnia ita cohaerent, ut cum originibus vocabuli graeci conueniant. Constat enim, et pueris notum est, hanc vocem graecam incunabula sua a *naturā* et *έδρᾳ* repetere, vti plurimi rerum etymologicarum scriptores hoc nos iubent credere. Facile quoque hoc est creditu. Nisi proprius quis ad *ναθέζουαι*, ex auctoritate aliorum \*), quod tamen nolim, natales cathedrae referat. Eleganter etiam, pro more suo, ex originibus, usum huius vocabuli sibi assertuisse putant scriptores isti, ad compositionem graecam respicientes, et subsellia eius generis indicantes, quae *circuncirca*, vnde, ex utroque latere, et retro inprimis, seu a tergo munita sunt. Prouocant hic ad exemplorum copiam, vbi tale quid, huic explicationi simile, in vocabulis *catalysmus*, *cataphractus*, et multis aliis huius generis vocabulis, inuenire sibi videntur. *Sella* esto, et vere est, *cathedra*. Nec mihi volupe est, de hac re subtilius disputare, quam par est. Non nihil tamen, e disciplina antiquiore, vbi varius *cathedrae* usus est, hic repetere licet, quod ad *cathedram ecclesiasticam* referre necessarium erit. Sunt etiam quaedam virorum doctorum diuertia, licet leuiora, tangenda atque componenda.

§. II.

\* ) Remotiora haec sunt: Legatur hic pontifex Sipunitinus N. PEROTTVS,  
a cel. Gesnero laudatus, p. m. 964.

## §. II.

*Cathedra, est sella augustior et laxior.*

Graeci scriptores habent *cathedram*, de quibus ad Romanos illos Graeciae aemulos, transiit, multis in locis nominatam. Thucydides, Xenophon, Herodianus, et multi alii de cathedra scribunt. Et si, quod res est, dicendum venit, ex testimoniiis eorum appareat, illis cathedralm fuisse dictam, sedile, seu sellam *augustiorem, ampliorrem et laxiorem*. Non est huius rei confirmandae, et altius repetendae, necessitas quaedam. Sufficit, vnicum excitare HERODIANI testimonium, ex quo satis clare huius rei veritas eluet. Appellatur ibi *καθέδρα*, quae ante saepius Θρόνος βασιλείως, thronus regius augustus, seu imperatorius dicebatur. Ita enim in vita \*) *Pertinacis*, eiusque oratione aditiali in curia, publice habita, legitur: Οὐ γὰρ ἐν τῇ καθέδρᾳ, οὐ προεδρίᾳ, ἀλλ᾽ ἐν τοῖς ἔργοις. Dicebat hoc Pertinax, ἀνελθὼν ἐπὶ τὸν βασιλείου θρόνον, postquam sellam imperatoriam conscenderat. Profitebatur in throno regio locatus, in eumque iam inter multas anxiasque curas euectus, Imperator, quod non in sella \*\*), sed in rebus praecclare gestis, fastigium dignitatis situm sit. Quae vox id confirmat, quod hic confirmandum erat. Et cum hac scribendi ratione conueniunt alia. Apud Graecos enim poetas saepius de Diis gentilium legitur, quod sint σύνθετοι, iidemque σύνεθετοι. Adeoque et *καθέδρα*, similis throno iudicatur. Fингebant sibi gentes, a vera Deum colendi ratione alienae, Deos adscientes et coniunctos. Vnicuique enim Deo suus adscriptus fingebar locus in conuentibus, qui siebant, aut ad coenandum, aut ad sententiam in senatu ferendam. Quo super argumento multa doce disputauit, vir eleganter doctus GEORGIVS D' ARNAUD in libello de *Diis προέδροις*, sive *ad secessoribus*, Hag. Com. MDCCXXXII. edito. Hic cathedralae usus mihi videtur verissimus, non solum apud graecos, sed etiam latinos scriptores, secundum quem, *cathedra proprie*,

\*) Lib. II. Histor. c. 3. §. 16. col. §§. 11. \*\*) In ea scilicet, quam conscenderat, quod ex graeca loquendi ratione appareret.

*proprie*, et primario quasi loco, dicta sit, illius generis sella, quae augustior, excelsior, atque supra plebeiam et vulgarem erectior, videbatur. Id ex omnibus iis patebit, quae nunc dicentur, et usum huius probatum dabunt.

## §. III.

*Non mollioris generis tantum sella.*

Sunt scilicet viri magni nominis, principem *cathedrae* significationem in eo collocantes, quod sit *sella mollior* *cathedra*. Sed hoc *cathedrae* quidem potest accidere, quod sit mollioris generis cuiusdam sella; Non vero omnia, in ea mollius sedendi ratione, sunt posita. Molliora enim alia etiam fuisse potuerant subsellia, quae non *cathedrae*; et *cathedrae* fuerunt; quae non molliorem, sed duriorrem quoque interdum confidendi speciem prae se tulerunt. Sunt enim *cathedrae* discipulorum, doctorum, philosophorum, aliorumque confidentium hominum, quibus in deliciis non fuerunt *cathedrae*, adeoque nec molliores. Nisi me fallunt omnia, ex hac potissimum ratione, *cathedrae* mollioribus sellis adnumerantur a quibusdam, quia foeminis illae in usu fuisse leguntur. Res in aprico est; et loquuntur veterum scriptorum, testimonia de foeminis, *cathedra* utentibus. Quid vero inde? Etiam maribus *cathedrae* usu adsignatur. Omne sellarum et subselliorum genus aptari mollitiei adsidendi poterat. Sed foeminae forte deliciis inseruentes, *cathedras* ideo sibi sumebant, et molliores confici curabant, quia genus erat sellarum, augustiorum, laxiorum, commodiorum, et desidia atque voluptati inseruentium, ita, ut etiam supine et negligenter iis insidere possent. Hinc mollioris *cathedrae*, hinc in delicias factae supinae *cathedrae*, inter femineam supellestilem, mentio fit creberrima, apud rei antiquariae autores. Nec inde, contra sententiam meam, dubitatio quaedam in medium adferri poterit, quod *cathedra*, *sellulae rusticanae*, ob mollitatem opponi, a SULPICIO SEVERO *Dial. II. 1.* videatur. Sed nihil a Sulpicio de molliori sedendi genere dicitur. Nec vola nec vestigium huius rei appetet ibi. De *beato Martino* hoc tantum ille praedicat, quod, pro morum simplificate

citate atque modestia, non laxiori atque excelsiori usus sit sella, sed viliori, tenuiori, atque depressiori. Hinc *sellulam* nominat, et *cathedrae* hanc opponit, quasi minorem maiori, vilarem ampliori, tenuorem augustiori, depressorem excelsiori. Haec res itaque dubitare nos non sinit, quod neutiquam *cathedrae*, a mollitie foemineae deliciis sellae delicatores fuerint dictae, sed quod recte sellae eminentiores, et laxiores fuerint. Forte conuenit apud nostrates *cathedra* antiquissima cum sellis nostris amplioris usus, quae vocantur teutonice *Großvaterstühle*. \*) Licet facile fieri potuit, ut, successu temporis, ratio et forma eius mutata et variata fuerit. Quae hoc usque de *cathedrae* disputata sunt in genere, firmiora redduntur ex omnibus iis, quae sequuntur.

## S. IV.

*Cathedra est magistrorum, et philosophorum et rel. An scribentium?*

*Cathedra* enim, sella quippe honestior, atque augustior, ab antiquissimis inde temporibus doctoribus, magistris, philosophis et literarum amatoribus tribuitur. Amplam testimoniorum segetem veterum exhibent libri, et recentiores consentiunt scriptores, quibus semper in ore fuit vox illa trita, quam perscriptam reliquit D U FRESNE in *Glossario p. 427. edit. Paris. T. II.* vbi legitur:

*Rex solium, doctor Cathedram, iudexque tribunal*

*Possider, ac sedem Praesul, Praetorque curulem.*

Ex EBRAIDO Beibun. in *Graecisimo* haec excitantur \*\*). Seneca etiam aetate philosophi *cathedralii* dicuntur, qui de *cathedra* philosophiae praecepta tradunt. Sunt quidem viri docti, tropice haec dici assidentes, quod philosophi scilicet tantum in *cathedris* de virtute garriant, parum vero de recta viuendi ratione sint soliciti. Sed haec omnia tamen probatum nobis *cathedrae* usum, inter doctorum confessum, affirmant \*\*\*). Inde etiam oratores *cathedralii* dicuntur,

qui

\*) Sunt tamen illae et durioris, et mollioris generis, quae posteriores nostri sunt *Wistensäule*, et reliqua.

\*\*) in libro de breuit. vitae c. 10. Vmbratiles dicant alii hos philosophos,

quod de *cathedra* modo doceant, non secundum *cathedram* vivant. Manet tamen *cathedra* sella honoris.

\*\*\*) Sidon. Lib. IV. epist. 3. vid. DU FRESNE c. I. p. 427.

qui de cathedra perorant. Ad quae concinne scribit, \*) M A R T I-  
N I V S , de quo b. G E S N E R V S \*\*) nil, nisi praeclarissimum iubet,  
*cathedra est professorum, in cathedris sedentium, quando publice do-*  
cent. Nisi enim in cathedris magistri et doctores desidissent, nec  
inde *cathedralii* appellari potuissent. Alio in loco Sidonius meminit  
litterarum, aut altarium, cathedrae, quod recte viri docti explicant  
de dignitate, et muneribus aut professorum, aut episcoporum. In  
confessu literario A P L I N I O \*\*\*) cathedrae nominantur, ante lectos  
positae, in quibus amicos collocari iusserat, ad recitationem inuita-  
tos. Sunt quidem nonnulli viri docti, qui putant, per hanc *cathedralam* intelligi machinationem, cui imponi liber, aut qua inniti scri-  
bens, possit, quam hodie *pulpita* vocamus. Sed quantum ego ex  
hoc, aliisque testimoniis, perspicio, non satis recte haec afferuntur,  
vbi modo, *vsus confidendi*, in cathedra affirmatur, etiam tunc, quan-  
do aliquid erat scribendum. *Scribe +) posita cathedra*, idem est,  
quod etiam dicitur: *Sedens scribe; Deside, et scribe.* Sedendi  
enim, et scribendi, modo est in hoc versu iussio, nulla mentione facta  
eius, quo inniti scribens debeat, aut queat. Discipulorum aut dis-  
cipularum *cathedrae*, simpliciter et in vniuersum a *poetis* fortasse di-  
cuntur, quantum mihi constat, subsellia dissentium, nulla propriae  
*cathedrae ++)* habita ratione. Metro enim, quod dicunt, hic ali-  
quid est dandum. De cathedris doctorum, de cathedris literarum,  
et cathedris scholaribus, ex posterioris aeui vsu, plura congesit,  
iam excitatus D U F R E S N E c.l. T. II. p. 427. ed. par. MDCCXXXIII.  
Addatur his celeberrimi b. G E S N E R I nouus linguae et eruditionis ro-  
manae Thesaurus T. I. p. 798. sq. An cathedrae fuerint +++) gesta-  
toriae,

B 2

\*) in Etymolog. p. 414.

\*\*) In diff. de praecipuis Lex. latinis,  
etorumque auctoribus, quae Thesauri pre-  
fixa legitur.

\*\*\*) Lib. VIII. ep. 21.

†) PROPERT. IV. s. 37.

††) Hinc recte cathedra pro sella po-  
sita putatur a LIPSIO, in Electur. Lib.  
I. c. XIX. p. 419. ed. Plantin. 4. Ibi ob-

seruatur, patentem sellam virorum fuisse  
magis, testam foeminarum.

†††) Cathedrae vtique gestoriae du-  
bia non videtur assertio, si id in primis  
recte se haberet, quod serui *cathedralii*  
fuerint gestatores cathedrarum. D U  
FRESNE, cum aliis id affirmat, et ser-  
uos cathedralios nominat, qui cathedras  
seu sellas ferunt gestorias, gallice Por-  
teschais.

*toriae, ut in lectione, aliaeque sellae, alii perquirant. Veri utique hoc simillimum videtur. Sed rem nostram haec disquisitio non tangit.*

## S E C T. II.

*De cathedra ecclesiastica atque sacra, ex ecclesiae doctorum placitis, atque auctoritate.*

## §. V.

*Transgressio cathedrae in ecclesiam, non ex circa.*

**E**x foro, et disciplina veterum Graecorum, ac Romanorum, usus cathedralae ad ecclesiam, seu ad coetus christiani castra, abiit. Nec hoc mirum. Purior enim Christianorum coetus, ex graecis et romanis congregabatur, plurima ex parte, gentibus. Hinc graeca vocabula, graeci mores, graeca subsellia, ad ecclesiam sanctiorem transferunt. Primis inde a temporibus vestigia huius rei deprehenduntur, vel in *cathedra ecclesiastica*. Controversia quidem videtur, satis leuis, inter viros doctos esse, vnde nam *cathedra* transierit ad ecclesiam? Non nemo autumat, ex *circo* cathedralam ad ecclesiam translatam fuisse. *TERTULLIANVS* enim de *Speciae. c. 3.* videatur etiam *circo* cathedralam tribuere. Res vero omnis liquida plane non est. Hinc eo magis nulla dubitatio adesse poterit, quod ex cathedralis doctorum, oratorum et philosophorum ad ecclesias cathedralium usus, quaeque huc pertinent, descenderit. Nisi forte ex cathedrali Mosis, cathedrali Petri, et episcoporum, exstructa videatur. Res quoquaque modo se habeat, ecclesiasticarum rerum conditores saltem *cathedrae* mentionem ubique iniiciunt, ubi pontifices et episcopi ordinantur, consecrantur, salutantur, atque commorantur. Ex eo factum est, ut *cathedra* proprie dicatur sedes, seu sessio honestior, atque augustior episcoporum in ecclesia, ceteris aliorum

Presby-

*teschais* dictas p. 47. c. I. ibi quoque affirmatur, quod apud *Martialem* idem servii *cathedralicij* fuerint appellati. Sed hoc super argumento non constans est

doctorum virorum sententia, quod ex *TURNEBO* (*Lib. XXX. c. 20.*) pater, licet eiusdem interpretatio admodum torta, et nimis longe petita, videatur.

Presbyterorum sedibus excelsior. Ita describitur ex antiquis monumentis *cathedra ecclesiastica*, apud D U FRESNE in *Glossario mediae atque infimae latinitatis*, eiusdemque noua editione, per religiosos disciplinae S. Benedicti alumnos in lucem emissā, T. II. p. 426. Satis etiam mature, *cathedra episcopi excelsior*, in templo translata videtur, ex eo, quia in *Concilio Carthaginensi IV.* eiusdemque c. 35. cuius summam vel *Caranza* \*) explicat, iubetur, *ut episcopus in eccllesia, in confessu presbyterorum, sublimior sedeat.* Intra domum vero collegam se presbyterorum esse cognoscat. Morem illum iam inde ab apostolicis temporibus, in eccllesia inualuisse, docet \*\*) *VALENTINUS*, et *EVSEBIO* fidem omnino habet, enarranti, quod thronus *Iacobi*, fratri Domini, ipsius adhuc aetate, Hierosolymis seruatus fuerit. Ipse etiam *Valesius*, quantum ego perspicio, recte tamen explicat *EVSEBIVM*, de Paulo, episcopo Antiocheno, a patribus antiocheni concilii, eam ob causam reprehenso, quod βῆμα et θρόνον υψηλὸν haberit, enarrantem. Non enim id, quod in *cathedra* seu *throno* federit Paulus, taxatur, sed quod tribunal sibi in eccllesia exstrui curasset, et in eo thronum sublimem, seu tribunal \*\*), ex more magistratus civilis, sibi collocasset. Recte itaque conuertit *EVSEBII* testimonium *Rufinus*, ita scilicet: *In eccllesia tribunal multo altius, quam fuerat, exstrui, et thronum in excelsioribus collocari iuber.*

## §. VI.

*Episcoporum thronus: cathedra: sedes episcoporum, throni quinam?*

Nec a re nostra erit absolum, vbi in antiquitatis ecclesiasticae campos floridos iam delati sumus, atque enarratio rerum, in coetu puriori gestarum, cum iure canonico arctissime coniuncta, atque copulata recte putatur, vt de hoc cathedrae ecclesiasticae vnu alia aucto-

B 3

rum

\*) p. m. 171.

\*\*) Lib. VII. c. 30. edit. Cantabr. hist. Eccles. per Reading, MDCCXX. T. I. pag. 361. Idem *Valesius* docet, *cathedram episcopalem linteis stratam fuisse.*\*\*\*) De sede hac excelsiori *Pauli Samosatenensis*, erudite multa disputat *Hugo Menardus ad GREGORI Sacramentary. T. III. Opp. edit. Paris. p. 340.*

rum, ut et *Eusebii*, proferamus testimonia. Insigne huius rei monumentum exstat in historia \*) ecclesiastica eusebiana, et quidem in oratione panegyrica, seu laudatione solemnii, in templum illud magnificum, Tyri a *Paulino* episcopo exstructum, dicta. Verba secundum graecam linguam ita conuersa fluunt. „Cum templum... absolutum esset, *thronisque altissimis* in honorem praesidum, atque praeter ea subselliis, per vniuersum templum, ordine dispositis, exornatum fuisset; postremo, sanctum sanctorum constituit.“ Hic commorantur, ḡόνοι εἰς προέδρων τημήν, seu *cathedrae*, ab episcopis occupandae. Laicis enim, in templo sedendi, potestas nulla erat, nisi officio peracto, et stantes orationes sacras audiebant, quod *Valesius*, praeter alia, etiam colligit ex vita *Constantini M.* ab Eusebio delineata Lib. IV. c. 33. p. 644. Iam cathedra, erat augustior, atque excelsior sella episcoporum seu antistitum sacerorum, in templis rei christianaee publicae professioni dicatis \*\*). Nonne hic cathedrae usus conuenit cum iis quae antea, ex literis graecis atque romanis, de eodem cathedrae usu dicta fuere. Huius rei originem deducere videtur Eusebius \*\*\*) ex temporibus Iacobi, cuius ante ea iam a me (§. V.) mentio facta est, et qui primus Hierosolymorum episcopus ab ipso seruatore atque apostolis constitutus dicitur. Appellatur haec sedes ḡόνος. Valesius ad hunc locum monet, in latinarum antiquis et recentioribus graecorum templis, sedes iuxta altare, sacerdotibus, episcopo adstantibus, simulque celebrantibus, exstructas fuisse, in quarum medio *Thronus* eminentior episcopo, siue Patriarchae, si adfuerit, erectus erat. Sed dubito ego quam maxime, an Iacobi, qui frater Domini salutatur, temporibus hic mos inualerit. Licet hoc certissimum sit, quod, post ea tempora, in primis sub efflorescentis coetus purioris auspiciis, haec consuetudo in usu fuerit. Sublimioris huius throni meminit GREGORIUS NAZIAN-

\*) Lib. X. c. IV. p. m. 474. Quibus adde, quae *Valesius* ad h. l. monet. Conf. NIC. LE MAITRE in libro, qui inscribitur: INSTAVRATIO antiqui episcoporum principatus L. II. p. 198. vbi scribit: „In defuncti (episcopi) cathedram ac

fastigium, nouus quam citissime episcopus attollatur.“

\*\*) Sect. I. §. 2.

\*\*\*) Lib. VII. c. XIX. pag. 343. seq. edit. Cantab. saepius iam a me excitatae.

ZIANZENVS in somnio de Anastasiae templo, opp. Tom. II. p. 78. Hinc euenit, vt summa in coetu sanctiori dignitas Tōronus appelletur. Apud scriptores rerum ecclesiasticarum inde fit mentio Θρόνος ἀποστολικῆς, sedis apostolicae, vti et Θρόνων καθολικῶν τοῦ ὁμηρευοῦ, seu thronorum omnium et maximorum. E V S E B I I iam aetate primariae huiusmodi sedes erant: Romana, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana. \*) Posterior salutatur et ponitur, qui primo loco nominandus, atque in principiis thronus erat collocandus. Multa docte diligenterque, pro more suo, hac super re congesit s V I C E R V S in Thes. Eccles. T. I. p. 1410.

## §. VII.

*Cathedrae episcopalem dignitatem indicant: Martyrologia.*

Magnarum urbiuum sedes episcopales Θρόνος fuisse vocatos, ex his, quae dicta sunt, liquido appetat. Simili vero ratione *cathedra*, pro episcopali dignitate, satis frequenter sumitur. Insignis hic certnitur conuenientia inter graecos, et ecclesiasticarum, et ciuilium rerum gestarum, auctores. Superiori quodam (§. II.) loco ex Herodiano comprobatum iam dedimus, Θρόνον appellari νάθεδραν. Idem deprehenditur in ecclesiis vissus. s V I C E R V M \*\*) testem hic habemus locupletissimum, ex scriptoribus superiorum, vel antiquissimorum temporum confirmantem, *cathedram* pro episcopatu sumi. Cathedra etiam pontificalis scribitur apud GREGOR. TVRON. Lib. III. hist. c. I. Et quis nescit, *cathedram* S. Petri salutari sedem romanorum episcoporum, eorumque dignitatem, atque auctoritatem? Perulgata et trita haec sunt: Licet recentioribus temporibus, sub ortis controversiis, ad alia quaedam, hic loquendi modus deflexus fuerit, vbi distincta fuerunt quae e *cathedra* Petri, quaeue minus, fuerint dicta et scripta. Ipse etiam DU FRESNE \*\*\*) ex veteri

*Marty-*

\*) Idem testatur quoque Nouell. 123. C. 3. si quis 3. et *cathedrae* exortae, quarum structura ut nullo arctiore coemento, quam episcoporum patientium sanguine compacta

\*\*) T. II. p. 9. NIC. LE MAISTRE c. I. Lib. II. c. XI. p. 290. est: ita — — —, inde sedes • \*\*\*) T. II. p. 426.

*Martyrologio.* ad XV. Kal. Febr. *cathedram S. Petri* s. episcopatum, constituit. Addit etiam ex *Concil. Lemoricens.* \*) An. 1031. Sess. I. sequentia: „Hanc etiam diem statuimus habendam, in recordatione omnibus annis, qua (*S. Marialis*) translatus est; qua etiam die *Cathedra eius*, hoc est, ordinatio, siue initium episcopatus eius est, non quod eadem die consecratus sit in episcopum --- sed sicut est *cathedra S. Petri Antiochiae*, itemque *cathedra Romae*, non quod tunc consecratus sit episcopus, qui a Domino iam olim consecrationem suscepereat Pontificalem, sed quia tunc primum in illa die apud easdem ecclesias sedit, ad suscipiendum super populum Dei regimen pastorale.“ Ex industria hunc apposui locum. Non quidem libet, de consecratione Petri, a Domino facta, aliquid disputare: Haec enim res satis iam explosa est. Liquido tamen inde constat \*), *cathedram* appellari episcopatum, dioecesin, et sedem. Apparet etiam ex iis, quae hic dicuntur, *cathedrae* nomen et usum ad episcopos transiisse, ab imperio et potestate civili, ut thronus, seu *cathedra* sit signum regiminis in populum. Quae omnia expressis verbis hic leguntur. Non abs erit, hic monere, quod non in omnibus *Martyrologiis*, ad Kal. Febr. XIV. *cathedrae Petri* mentio fiat. Est in manibus meis *Martyrologium* \*\*\*) peruetustum MCCCCXCIX typis exscriptum, in quo memoria *cathedrae S. Petri* ad VIII. Kal. Febr. recolitur. Vbi haec leguntur: „Cathedra S. Petri apostoli ab ecclesia festiue recolitur, quia tunc b. Petrus apostolus apud Antiochiam in cathedrali honore sublimatus fuisse perhibetur -- In medio (templi) excelsam *cathedram* collocauerunt, et Petrum, ut ab omnibus videri atque exaudiri posset, exaltauerunt --- Postmodum Romanam veniens et in *cathedra* sedit --- De primo tamen honore ecclesia celebrat,

\*) c. l. p. 427.

\*\*) Plura exhibet DU FRESNE ex Notitia episcoporum Africanor. Ex Concilio Mileuitano II. can. 21. vbi etiam *Cathedrae matricies et Principales* nominantur. T. II. Glossar. p. m. 427. SVICER. in Thes. Ecclesiast. II. p. 9.

\*\*\*) In 4. fol. XVI. f. Sine villa dubitatione Argentinae per Marinum Flach typis est descriptum hoc martyrologium, quod ex certis signis colligo. Apud Graecos exinde προδρόμοις, f. Praefides senatus ecclesiastici, vocantur Episcopi. Vid. IN. CIRONII Opus ad Compil. V. epist. Decret. Honorii Tolos. 1645. p. 14.

lebrat, quia tunc primo Praelati ceperunt ecclesiae loco, *potestate* et *nomine* sublimari. Tunc ergo impletum est illud, quod dicitur in psalmo: Exaltent eum in *ecclesia* plebis, et in *cathedris* seniorum. Haec Martyrologium, cum multa fabularum nube, stipatum vndeque tradit. Sufficit mihi, ex his rebus circumstantibus probatum atque confirmatum dare, quod *cathedra*, ab antiquissimis inde temporibus, ad dignitatem episcopalem relata fuerit.

## §. VIII.

*Cathedralis ecclesia: cathedrari: incathedrare: Cathedra, arca, nummus.*

Ipsam quoque ecclesiam *cathedralem*, sine vlla dubitatione, *cathedram* fuisse nominatam, sentio. Medii praincipue aeui hoc testantur scriptores, apud D U F R E S N E \*) excitati. In concilio Africano can. 38. cautum legitur, vt non liceat episcopo principalem *cathedram* suae parochiae negligere, et aliquam ecclesiam in sua dioecesi magis frequentare. Prohibetur itaque, ne episcopi sedem suam negligant, aut temere inde discedant. Ex eodem more etiam vox barbara *cathedrari*, vsu quodam inualuit. Dicuntur scilicet episcopi *cathedrari*, quando ad *cathedram* episcopalem promouentur, ex ea ratione, quia in ecclesiae *cathedra* collocantur, vbi consecrantur, in eaque sedentes palam ab aliis episcopis efferuntur. Hoc super more plura deinde \*\*) commemoranda veniunt. Barbarior etiam ex hoc descendit vox, *incathedrare*, quod Graecis ἐνθρωπίζειν dicitur. Usitata etiam adhuc sunt vocabula, *cathedralis ecclesia*, *cathulares*, et his similia. Sedes enim episcoporum principalis, ecclesiam constituebat, et adhuc constituit, *cathedralem*. *Cathulares* vero simpliciter pro *Canonicis* ecclesiae *cathedralis* interdum ponuntur. Dicuntur etiam *Domini cathulares*, in choro cum episcopis, omnibus horis, et maxime matutinis, Deo communi voce psallentes. Sed satis de his. Quod *cathedra* pro *arca*, ex sententia quorundam, dicitur, res mihi videtur adhuc dubia, nec satis vsu confirmata, nisi forte sub *cathedris*, quibusdam in locis, arculae fuerint, inferiorem

C cathe-

\*) T. II. p. 427.

\*\*) vid. §. XII.

cathedrae partem constituentes, in quibus, quasi in secretioribus atque sanctioribus locis, res nonnullae, aut libri, olim reponebantur. Quod *cathedra* nummus fuerit, aureus Francicus, in quo rex in *cathedra* positus conspiciebatur, ad nostram disputationem non quidem pertinet, id tamen ex superfluo nobis significat, quod *cathedrae*<sup>\*)</sup> usus honestissimus, amplissimus, atque augustinissimus fuerit.

## §. IX.

*Cathedra sacra ex moribus nostris.*

Quum praeter ea nihil fere sit, quod hic monere amplius necessum videatur, id vnicum tamen erit addendum, quod *cathedra sacra* etiam in vniuersum dicatur illa, ex qua orationes sacrae fieri solebant. Ad eam vero nullo modo respicit *cathedralicu*m iuris canonici, ideo, quia ad *episcopos solos* illud refertur. Non incommodem quidem suggestus, *cathedra sacra* appellatur, pro more recentiorum et antiquorum magistrorum, atque doctorum, e *cathedra* docecentium. Hinc vox enata est *Cathedram aperire*. Dicitur hoc de *candidatis*<sup>\*\*)</sup>  ministerii verbi diuini, quando ad orationem exploratoriam, pro concione habendam, admittuntur, et populo sistuntur. Est hoc ius *aperiendi cathedram*, in electoratu Saxoniae, aliisque in ecclesiis saxonis, non iuri patronatus, sed *superioritati territoriali*, quam *ius episcopale* iuris canonici magistri dicunt, adscriptum. Nihilo tamen minus ad *episcopos* etiam pertinet *cathedra sacra*, ratione munieris sui, secundum quod ipsis ius competit, verbum Dei docendi, tabulasque sanctiores pro concione, explicandi, quod deinde monebitur, et exempla veteris ecclesiae abunde hoc docent.<sup>\*\*\*)</sup>

## SECT.

<sup>\*)</sup> Rex enim in *cathedra* collocatus cernitur: Quod fieri non potuisse, nisi esset sella honoris; et quidem honestissimus, usui ecclesiae scilicet dicatus, sellae typus, *cathedral*.

<sup>\*\*)</sup>  Instar omnium hoc super argumento legendus est ill. BOEHMERVS in *Iure ecclesiastico Protest. T. III. L. III. Tit. XXX. VIII. S. 79. p. 516.*

<sup>\*\*\*)</sup> Sect. IV. §. XVIII. Episcoporum enim quondam erat officium docere, et sacra circa sacramenta operari. Ex eo etiam *cathedra* docentis fuit dicta in ecclesia. Forma tamen immutata videretur ubi episcopi in *cathedra* sedentes, dicuntur, in tabulis priscorum temporum: Nostrorum vero oratores sacri, plerumque stantes publice docent, cui standi morietiam suggestus aptissimus est noster.

## S E C T . III.

*De cathedralico prioris generis, s. inthronisationis, dicto.*

## §. X.

*Lex Iustiniani de Cathedralico s. Inthronistico.*

**P**ropius accendum nunc est ad rem ipsam. Quo tamen omnia ad hoc genus dicendorum pertinentia, recte intelligantur, et ponderentur, ante omnia quantum ego perspicio, distincte est scriendum, de *cathedralico* prioris generis, ab episcopis soluendo, et, de *cathedralico* posterioris generis, ab ecclesiis episcopo cuique praestando. De priori extat lex et voluntas principis in legibus ciuilibus. De posteriori multa docent leges iuris Canonici. Fundamenti itaque loco ponitur illud, quod ab *Iustiniano* scriptum extat in *Nouell. 123.* C. 3. si quis 3. Ante omnia hic monendum videtur, quod vox *cathedralici* hic occurrat, vbi lex ista inscribitur: *Quid pro cathedralico dari conueniat.* Ergo omnia, quae hic leguntur, ad illud respi- ciunt: Verba ipsa vero significant, *cathedralicum inthronisationis*, ita fluentia: „Pro consuetudinibus illa sola permittimus ab ordinatis Episcopis, quae subsequenter praesenti legi inserta sunt. Iubemus igitur, beatissimos Archiepiscopos et Patriarchas, hoc est, seniores Romae et Constantinopoleos, et Alexandriae et Theopoleos, et Hierosolymorum, si quidem consuetudo haber, episcopis et clericis in eorum ordinatione, non minus quam viginti auri libras dari, ipsa sollempniter praeberi, quae consuetudo recognoscit: plus autem ab hac quantitate nihil supra viginti auri libras praeberi. Metropolitas autem a propria Synodo, aut a beatissimis patriarchis ordinatos, et alios omnes episcopos, qui aut a Patriarchis aut a Metropolitis ordinantur, dare pro inthronisticis quidem solidos centum: Notariis autem ordinantis, et aliis, ministrantibus ei, et solenniter accipientibus,

C 2

bus,

\* ) A CIRONIO ad *Compil. V.* p. 15. dicitur ιερονασκόν. Ius hoc aditiale vocatur a quibusdam επιβάτην. Ibid.

bus, solidos trecentos. Si vero ecclesiae redditus minus quidem, quam triginta auri libras per annum reddant, non minus autem, quam decem: dari pro inthronisticis solidos centum: aliis autem omnibus, qui ex more capiunt, solidos 200. Si vero minus quam decem, non minus autem quinque auri libras ecclesiae redditus esse contigerit: pro inthronisticis quidem dari solidos quinquaginta: omnibus autem aliis ex consuetudine percipientibus, solidos ducentos. Si autem minus quam quinque, non minus autem duas auri libras ecclesiae redditus habeat, pro inthronisticis solidos decem et octo: Omnibus autem aliis ex consuetudine percipientibus solidos 24. Si autem minus tres, non autem quam duas auri libras, quantitas reddituum ecclesiae comperiat, dare pro inthronisticis quidem solidos duodecim, pro omni vero alia consuetudine solidos sex. Episcopum enim ecclesiae minus duas auro libras redditus habentem, neque pro inthronisticis, neque pro alia qualibet consuetudine dare aliquid permittimus. Haec autem, quae praeberi disponimus, primus Presbyter ordinantis episcopi, et Archidiaconus, suscipientes, ex consuetudine percipientibus, diuidant haec. Igitur iubemus haec omnibus modis afferuari: ut non ex talibus occasionibus ecclesiae debitis praegrauentur, et sacerdotia venalia fiant. Si quis autem ultra quantitatem a nobis definitam pro inthronisticis aut consuetudinibus quolibet modo praesumat accipere: iubemus quicquid plus acceperit, triplum ex rebus eius vindicari ecclesiae dantis. Sed haec pro episcoporum ordinatione dicta sint., \*)

### §. XI.

*Vere fuit aditiale: A multis est prætermissum.*

Ex hac legis natura atque ratione, quam consulto et ex industria integrum hic exhibui, quam locupletissime patet, *Inflonianum*, imperatorem augustissimum, de consecratione seu ordinatione episcoporum edictum dare. Ab initio enim usque ad finem omnia refuruntur

\*) Ex his etiam patet, scribit laudatur CIRONIVS, cathedralicu sumi pro eo, quod ipse episcopus pro sua ordina-

tione et inthronisatione praefiat, vbi ad Nouel. 12. respicit. In Paralit. ad V Lib. Decretal. p. 269. T. XXXIX.

feruntur ad episcopos inaugurandos, et muneribus facris initiandos. Ipsa legis summa nihil complectitur, quam summas nummorum ratios, qui pro ordinibus sacris episcopis quibuscumque pro redditum cuiuscumque ecclesiae maiori vel minori quantitate, soluendi erant. Ipse Imperator etiam exakte iubet, quae vel huic vel illi, res sacras operanti, in consecratione episcoporum, exhiberi debeant. Prohibet denique, ne contra voluntatem quidquam, lege imperatoris expressam, fiat aut geratur, addita etiam mulcta, si quis temere legem imperatoriam violauerit. Quod si nunc inscriptionem legis, cum legis summa, conferre velis, cathedralicum dici inthronisticum, certissime euincitur. Hinc in proposito est, cathedralicum duplicitis fuisse generis, vbi de cathedralico, episcopis exhibendo, aliae leges atque edicta principum, exstant, quod deinde amplissime erit confirmandum, quodque ab cathedralico nostro, quam longissime abest. Miror itaque quam maxime auctores, de iuris canonici legibus praecipientes, quam plurimos, huius generis cathedralici, plane non meminisse, licet nonnulli commentarios suos, multis atque spissis voluminibus, de rebus sacerdotalibus, complexi fuerint. Alii, huius legis imperatoriae titulum atque numerum excitant, sed alieno in loco, vbi de cathedralico posterioris generis, cogitandum erat. Exemplum huius rei deinde \*) dabo, postquam de ordinatione episcoporum aliquid monuerim, quod ad cathedralam spectat, unde cathedralicum hoc nomen suum nactum est, quod *inthronisticum*, seu aurum pro inthronisticis, dicitur in lege exhibita.

## §. XII.

*Cathedralicum hoc ex ordinatione episcoporum originem ducit.*

Cathedralicum ad cathedralam pertinere, ex moribus episcopi ordinandi constat, atque exinde est repetendum. In antiquissimis enim temporibus hoc in visu fuisse, patet, ut episcopus, perfecta consecratione in sede, seu throno episcopali, solemniter collocare-

C 3

\*) Conf. deinde §. XIV.

tur, vt videre est apud FORTVNATVM L. I. de vita S. Martini:

*Eligitur, trahitur, sacratur, in arce locatur.*

vbi in arce, i. e. in throno est intelligendum, vti recte hoc monet **Hugo Menardus**, \*) familiae religiosae Benedictinae sodalis. Idem eundem morem in consecratione Romani Pontificis indicat, ad **Gregorii Magni lib. sacrament.** vbi scriptum legitur: „Tunc episcopus Ostiensis consecrat eum Pontificem, Archidiaconus mittit ei Pallium; deinde adscendit ad sedem.„ Hunc in fine etiam in \*\*) **Constitutionibus** dicitur **Apostolicis** quod ordinatus episcopus in sua sede collocetur. Hic etiam MENARDVS porro id confirmat, in **animaduerzionibus** suis supra oratione \*\*\*) in ordinando episcopo, vbi ex codice **Ratoldi** haec exscripta sifit: „Tunc (*post ordines acceptos*) mittendus est in **cathedram**, et haec dicenda oratio: „Omnipotens „pater sancte, Deus aeterne, tu omnem ordinem dignatus es, in coe- „lestibus sedibus ordinare, vt ait Psalmista: **Domine, in aeternum** „permanet verbum tuum in coelo, angelos et archangelos suo tibi or- „dine mancipari; in V. T. priuilegio Moysen et Aaron, et Samuel „inter eos in sacerdotibus suis, qui inuocant nomen eius, Patriar- „chas, prophetas ordinasti; in Nouo per filium tuum Iesum Chri- „stum Apostolos sanctos, suis ordinibus elegisti; Primum Petrum „Apostolum in **cathedra** honoris, et Mathiam eiusdem consortis in „Apostolatum, atque in **cathedra** honoris enumerasti, et in numero „S. omnium Apostolorum euocasti, vt Spiritus S. ait per prophetam: „In **cathedra** seniorum laudent Dominum, diuino nutu aequa de aliis „haec illis contigerunt. Et tu Domine, pro tua immensa misericordia „in nostris temporibus da similem gratiam fratri nostro ill. ad instar „sanctorum Apostolorum tuorum sedentium in **cathedra** honoris „et dignitatis, vt in conspectu maiestatis tuae dignus honore appa- „reat.„ Haec orationis formula †), episcopis ordinandis sacra, ad **cath-**

\*) In notis ad **GREGORII libr. sacram.**  
Opp. ed. Parif. p. 340. et 226.

\*\*) **Lib. VIII. C. 5.**

\*\*\*) cit. loc. p. 220 et p. 520.

†) Reliqua, in his precum formulis  
occurrentia, ad amissim veritatis reuo-  
care, nostrarum non est partium.

*cathedram* honoris atque dignitatis resert plurima, quae ad ordinationem episcoporum pertinent. In hac enim consecratione episcopali *cathedra*, seu sedes occupatur, in qua dignitas episcopal is est conspicua. Ex hoc, in consecratione episcopali, more atque consuetudine recepta, vox \*) *cathedrari* in usum loquendi, medio aeuo, transit. *Cathedrari* dicuntur episcopi, cum ad *cathedram* episcopal em promouentur, et in ecclesiae *cathedra* collocantur, cum consecrantur, in eaque sedentes palam ab episcopis efferuntur. De hoc more, in Gallis maxime visitato, locus insignis exstat apud *Stepbanum Eddium*, in vita S. Wulfridi, episcopi eboracensis c. 12 qui apud D U F R E S N E \*\*) legitur, et sic se habet: „Ita, ut valde honorifice ad Galliae regionem perueniat; ibique statim conuentio magna facta est, non minus quam duodecim episcoporum catholiconrum, e quibus unus erat Aegelberctus Episcopus, qui eum propter fidem suam indicatam grataanter et honorifice, coram omni populo publice ordinauerunt, et in *sella aurea* sedentem, more eorum *sursum eleuarunt*, portantes in manibus soli episcopi inter oratoria, nullo alio attingente, hymnosque et cantica in choro cantantes.“ Haec ille; et non solum haec, sed et plura dat, cui animus est legendi, alia. Hinc *incathedralis*, *incathedralare*, *incathedralico*, dicitur consecratus, ordinatus, consecrare, consecratio. Quae omnia pluribus docet D U F R E S N E cit. loco.

## §. XIII.

*In causa huius rei inquiritur.*

Sed linquimus illa, nec ulterius inquirimus, quid sibi velit mos ille portandi *cathedras*: Fortasse hoc modo in Galliis suo tempore visitatum fuit. Aliis enim in locis, ex antiquissimis inde temporibus, *cathedrae* episcoporum minus portatiles fuere, sed throni dicuntur, et throni fuere. Ex epistola *Vrbani Papae*, *Menardus* causam profert, quare illae *cathedrae* eminentiores aliis fuerint, quando dicitur:

\*) D U F R E S N E cit. loc. Adde, quae ante ea §. VIII. iam dicta sunt. \*\*) in *Glossar. med. et infim. lat. T. II.* ed. Par. p. 428.

citur: „quod autem sedes episcoporum in ecclesia excelsa constituae, et praeparatae esse inueniantur, in throno, significat speculacionem et potestatem iudicandi, soluendi, atque ligandi a Domino sibi datam. Ita docet, ut H. Menardus pergit,, S. Ambrosius lib. de dignitate sacerdotali c. VI. Nam quid aliud interpretatur episcopus, nisi super-inspector? maxime cum in solio in ecclesia editiore sedeat. Et S. Augustinus in Ps. 126. inquit: Ut in mentem reuocarent, altiore se in loco, tanquam in specula constitutos, quo oculorum acie peruigili, atque indefessa, in tutelam gregis iacumbant, tanto caeteris virtute et probitate clariores, quanto magis essent sedis honore\*\*) ac sublimitate conspicui. Idem in Epist. 203. In futuro Christi iudicio neque absidae gradatae, nec cathedree - - adhibebuntur ad defensionem. „Alia etiam forte ratio subest, quare in *cathedra*, post acceptos ordines, constituebantur episcopi, scilicet ut indicium hoc esset, episcopum quemcunque ordinatum, id sibi muneris datum esse, inde colligere debere, ut e *cathedra* doceat diligenter verbum Dei. Ostendit hoc \*\*\*) MENARDVS, saepissime iam nominatus, et Prudentium, in passione s. Hippolyti, et Isidororum excitat, ad hoc confirmandum, ex quo posteriore addit versus:

Fronte sub aduersa gradibus sublime tribunal  
Tollitur, antisles praedicat inde Deum.

Huc etiam respicit ill. BOEHMERVS †), ubi de *ecclesia cathedrali* commentatur, et docet, illam a *cathedra* appellari solitam fuisse: quia episcopi, quorum munus proprium et praecipuum est, docere, sedentes olim in solio et *cathedra* docebant, et quoties episcopi creabantur, collocari in eo throno atque solio solebant, velut possessionis cuiusdam apprehendendae gratia. Eadem in sententia est ††)

FRANC.

\* ) In Not. et Observ. ad Gregorii Sacram. p. 83. et 340. Pronouocat etiam ibi ad Burchardum. Lib. II. c. 10. ANDR. ALCIATI L. de Verb. Signif. p. 156.

\*\*) DU FRESNE cit. loc. p. 426. Vbi etiam excitatur Gregorius Nazianzenus. Carm. II.

\*\*\*) cit. l. p. 340.

†) in Iure Parochiali Sect. III. c. III. §. XVI. p. 174.

††) de sacrificiis eccles. ministris L. VII. c. V. p. m. 367. Pater Purpuratus 10.

BONA in lib. II. rerum liturgicarum scribit: „Munus praedicandi proprium et praecipue ad episcopos pertinere, tum usus veteris ecclesiae, et omnium sanctorum Episco-

FRANC. DVARENVS, aliique plurimi, vt plane nulla adsit dubitatio, quin *cathedra*, in episcoporum creatione atque consecratione, signum fuerit, illius muneric partis, secundum quam publica epis-  
copis docendi facultas atque necessitas imponebatur. Sine vila dubitatione inde etiam factum fuisse videtur, vt in Synodis, euangeliorum liber in throno collocaretur. Forte eo quoque tendit *Theodoreetus*, vbi contentione inter *Meletium* et *Paulinum* enarrat, atque in media sede euangelium poni curat, vt ex vtraque ambo illi parte sederent, et media sedes quasi doctrinae publicae conseruaretur. Non iniucundum est, haec omnia, amplius a THEODORETO \*), Episco-  
po Cyro, prescripta atque enarrata, perlegere, atque de *Meletii* humanitate iustum iudicium ferre. Quod ad meam vero causam hac ex parte fluit, est illud, quod occupatio *cathedralium* in ecclesia ad ordinationem atque consecrationem episcoporum pertinuerit, et signum muneric dignitatis et potestatis eorum fuerit.

Hinc *cathedra* in iure pontificio \*\*), pro honore et munere episcopali, recte accipitur, c. non autem. c. placuit. c. si quis episco-  
pus. 7. Qu. 1. et munus eorum proprium, docere publice, erat c. in-  
ter caetera. de offic. ord. Et in Dist. 86. in *Praelog.* Episcopum oportere esse doctorem, clarissimis verbis significatur.

### §. XIV.

*Qui autores hic laudandi, qui minus-*

De hoc *cathedralico*, quod *intronisticum* a plurimis salutatur, nonnulli plane silent, qui de \*\*\* ) iure sacerdotali veterum, et pon-  
tificio recentiori, scripserunt. De illustri b. Boehmero iam superiori in loco hoc dictum est, qui tantum illius *cathedralici* meminit, quod in honorem cathedrae soluitur. Alii, cum Barnaba Brissonio con-  
fun-

Episcoporum exemplum, tum ipsa docet  
episcopalnis consecratio, in qua dicitur:  
*Accipe euangelium, vade, praedica populo  
tibi commisso.*, T. II. Opp. p. 553.

\*) In *pist. ecclesiast.* Lib V. cap III. p.  
190. ed. Cantabr. per READING MDCCXX.

Adde SVICERVUM in *Thes. eccles. T. I.*  
p. 1216. sq

\*\*) DVAREN. c. l. p. 367.

\*\*\*) ROHRIVS etiam illius non me-  
minit, in libro, qui inscribitur; Ober-  
sächsisches Kirchenrecht.

D



fundunt cathedralicum hoc, cum illo, quod episcopis soluebatur. Hinc *Nouellas* excitar Briffonius \*) minus recte, vbi de hoc cathedralico, quod aditiale erat, non agit, sed de posteriori, et utrumque minus accurate miscet, licet animaduerti ab illo error facile potuisse, quia in titulo, seu voce: ἐγρογισμὸν, inthronistica: cathedralicum: ad *Nouellas* recte respicitur, atque dictum ibi fuit, quod hic denotentur munera, quae ab episcopis pro introitu dantur. Sed hic error ex parte modo *Briffonio* imputatur, quantum ego video, quum maxime ad eos pertineat, qui posterioribus temporibus, librum illius edere in publicum curarunt. Alias hoc *cathedralicum* simpliciter etiam *Introitus* appellatur, vnde ius *cathedralicum* gallice *droit d'entrée* nominatur, quod me monet diligentissimus harum rerum explanator, CAROLVS DU FRESNE in GLOSSARIO suo ad h. v. Sunt tamen multi viri docti, distincte et curate de hoc *cathedralico* praecipientes. Ad hos, praeter iam nominatos, pertinet CASPAR ZIEGLERVS, qui ab cathedralico posteriori diligenter distinguit prius hoc *cathedralicum*, quod inthronisticum dicitur Iustiniano Imperatori, quodque ab interprete itidem *cathedralicum*, vt verba b. \*\*) ZIEGLERI fluunt, appellatur. Ex eius mente hoc *cathedralicum* est portio pecuniae, quam episcopi, postquam consecrati fuerant, pro inthronisatione, sive, vt nō loquimur, installatione episcopis, clericis, et Notariis, qui in consecratione aderant, dare solebant. Haecque explicatio, et sententia legis Iustinianae est verissima, et distincte res tractanda, vti in primis omnibus praeiuit CAROLVS DU FRESNE \*\*\*) in GLOSSARIO suo, in specie de hoc cathedralico agens, atque ad Julianum Antecessorem, (Constit. II. et 431.) et Iustinianum prouocans, etiam ἐγρογισμὸν vocat.

\*) De verborum, quae ad ius pertinent, significatione p. 283. et 105. ed. Itteri.

\*\*) Prouocat b. auctor ad excitatas iam a nobis NOVELLAS, atque ad PETRI DE MARCA librum, qui de concordia sacerd. et imper. inscribitur. L. VI.

c. 10. n. 3. vid. eius Ius Canon. ad Lan. cel. p. 553.

\*\*\*) T. II. ed. cit. p. 430. Distincte etiam, et praecclare de hoc cathedralico agit cel. IOH STRAVCHIVS in Amoenitat. Iuris Canonici Semestr. I. Eclog. VI. c. VIII. p. 149. sq.

vocat, seu certam pecuniae quantitatem, quam episcopi recens ordinati dabant, partim episcopis, a quibus ordinati erant, partim Clericis et Notariis, qui in ea inauguratione ministrauerant; vnde euidens est, praestationem istam, factam esse ab Episcopis ratione *Throni*, seu *cathedralae* adeptae, vti *Domini D U C A N G E* verba fluunt. Quique hunc sequuntur scriptores, cathedralicum vtrumque non confundunt, sed suo quodque loco repónunt. Reliqua ex ipsa legis Iustinianae natura eruenda erunt.

## §. XV.

*Fata huius cathedralici secundum veteres.*

Ad calcem huius *sektionis* necesse erit addere, quidpiam de fatis huius cathedralici, quod dicunt *enthronisticum*. JOHANNES STRAVCHIUS nonnulla hoc super argumento descripta reliquit. Ante Augustissimi Iustiniani tempora, sine numero et ordine, pecunia cathedralica, soluebatur, et res adeo in abusum vertebatur, vt multi inde tumultus excitarentur, et *Gennadius*, Episcopus Constantinopolitanus \*) anathemate hos abusus aliquando coercere cogeretur. Post Iustinianum vero, rerum facies, vt dixi, mutabatur, et summa pecuniae certa definiebatur, quae pro inthronisatione expendienda erat. De his vero, quibus hoc cathedralicum distribuebatur, non omnes consentiunt, nec omnes post Iustinianum in publicum emissae constitutiones inter se conueniunt. Sunt, qui negant, ordinatori episcopo ex his aliquid porrigidam fuisse. Sed ipsa *Nouella* Iustiniani aliud innuit, secundum quam episcopis, qui actum consecrationis celebrabant, nec non clericis et Notariis, qui ordinationi aderant, et literas publicas, seu diplomata, conficiebant, distribuenda pecunia erat. Post Iustinianum tamen, quod \*\*) STRAVCHIUS monet, paullo aliter rem se habuisse, testimonia quaedam veterum docent. Inualuit enim interdum mos, vt illud, quod en-

D 2

*thron-*

\*) *Ius Graeco Romanum*. Lib. III. p. 187. monens, aliud dari pro cathedralico, aliud ex consuetudine.

\*\*) *Prolixe de hoc agit cit. loc. p. 149.*

*thronisticum* dicebatur, non ei distribueretur, qui ordinabat episcopum, sed pauperibus Clericis, vel alii, ecclesiastico quodam munere, fungenti. Quippe si locuples erat episcopatus, concedebatur, ut in eos, qui ministeriis ecclesiasticis inseruiebant, atque in opem vitam agebant, velut ex beneficentia, munuscula quaedam transferrentur. Interdum etiam clericis, pro expensis itineris et commeatibus, aliquid porrigebatur, quod ex Iustiniani Nouella, nomine *consuetudinis*, dare iussum erat. Ex diuersis enim locis, sub consecrationis episcopalnis actu, clerici, episcopi et presbyteri, conueniebant, et his sub titulo *cathedralici* summa nummorum concedebatur, dummodo vnius anni redditus sumمام, non excederet cathedralicum. Denique \*), imperante *Isaaco Comneno*, anno millesimo quinquagesimo octauo, per omnes Orientis provincias, episcopis propter ordinationem clericorum, plus septem aureis nummis Imperator non permisit, pro vniuersis ordinibus, vsque ad Presbyteratum. Integrarunt hanc imperatoriam Constitutionem doctissimus STRAVCVCHIVS \*\*), iuris exacte peritissimus vir, exhibet, quem consulere, cui volupe est, quisque poterit. In sequentibus temporibus ex iure ciuili et canonico, praeter ea, quae hic descriptra sunt, nihil memoratu dignum inuenitur, quod ad cathedralicum illud spectat. Recentiores pontificum romanorum \*\*\*), in ordinandis episcopis, pro pallio, aliisque erogandis sumtibus, ad hoc dicendi genus non pertinent, taxae, quae dicuntur, et constitutiones, de quibus multi amplissime scripsierunt auctores.

## SECT.

\*) Videtur hic cathedralicum dici, quod ab clericis consecrandis, episcopus accipiebat.

\*\*) c. l. p. 150. fq.

\*\*\*) BOEHMERT *Ius ecclesiast. T. II.* 3. 7. §. 16. p. 557 f. Conf. CIRONIVS in *Observat. Iur. Can. c. VII.* p. 6. Et in *Paratit.* p. 270.

S E C T . IV.

*De Cathredatico Dioecesano, seu posterioris generis, episcopis  
erogando.*

§. XVI.

*Cathedricum hoc in viuersum quid sit, delineatur.*

**R**estat nunc *cathedricum* posterius, a priori distinctum. De hoc plura suggerunt iuris sacerdotalis veteris conditores monumenta. Extant etiam de illo, in honorem cathedrae episcopalnis, exhibendo honorario, leges canonicae antiquitatis. Dicitur hoc *cathedraticum* \*) *pensio*, *quae episcopis ab ecclesiis quotannis in signum subiectionis soluitur, seu pro honore cathedrae*, vti legitur in *Concilio Braccarense II*, 2, seu pro *respectu sedis*, vt in *Concilio Rauennensi* nominatur. Plurimi rerum pontificiarum periti magistri, in ea permanent, sententia, quod hoc *cathedricum*, in *honorem cathedrae* per soluatur. Euolui hanc in rem possunt, illustris *BOEHMERVS* \*\*), et *quae BRISSONIVS* \*\*), *STRAVCHIVS* †), *ZIEGLERVS* ‡), *ROHRIVS* ††), aliique permulti rerum ecclesiasticorum commentatores docent.

§. VII.

*Canones et leges hoc cathedralico latet.*

Locus palmarius de *cathedralico*, *ecclesiis imposito*, exstat in *Can. II. Concilii II. Braccarense* in Hispania anno 572. habita, vbi

D 3 sanc-

\*) *V. CAROL. DU FRESNE* in *Glossar.*  
*T. II.* 428. *Cathedricum* nuncipatur,  
 ob honorem cathedrae episcopalnis, et  
 matricis ecclesiae, et ob consecrationis  
 beneficium, atque etiam in signum sub-  
 iectionis; vid. *CIRONIVS* in *Paratit.*  
 p. 203.

\*\*) *Iur. Paroch. S. III. c. III. §. 16.*  
 p. 174.  
 \*\*\*) cit. l. p. m. 105. sq.

†) in *Amoen. I. C. II.* p. 70.

††) ad *Lancelot* p. 553.

†††) In *D. S. Kirchenrechte*, vbi *cathedricum* nominatur: *ein Tribut der Ca-  
 theder, d. i. der Ehre des Bischofs zum  
 Zeichen der schuldigen Unterthänigkeit, und  
 Ehreerbietung.* *DVARFNVS* c. 1. p. 309.  
 Nullus vero horum rei momentum tan-  
 git, sed vase omnia, et sine limite, des-  
 cribuntur.

sancitum est, quod vero nomine Cathedratici episcopus exigere debat, et quod praeter honorem cathedratici nihil episcopus per Dioeceses exigat. Verba ita fluunt: \*) „Placuit, ut nullus episcoporum per suas Dioeceses ambulans, praeter honorem cathedrae suae, id est, duos solidos, aliud aliquid per ecclesias tollat: neque tertiam partem, ex quacunque oblatione populi in ecclesiis parochialibus requirat. Sed illa tertia pars pro luminaribus ecclesiae, vel reparatione seruetur, et singulis annis episcopo inde ratio fiat. Nam si tertiam partem illam episcopus tollat, lumen et sarta tecta abstulit ecclesiae.“ Plurima in hoc canone exhibentur, quae ad eruendam cathedralici rationem pertinent. Sed longe plura adsunt de cathedralico nomina in hoc iuris capite inuenienda, vbi ea collecta videmus, quae a sacerdotibus suis nomine cathedralici episcopus exigere possit. Circa idem tempus, anni quingentesimi octogesimi scilicet, post recuperatam salutem humanam \*\*), Pelagius Cresconio illustri ita prescribit hanc cathedralici normam: „Illud te volumus, modis omnibus custodire, ne qui episcoporum Siciliae de parochiis, ad se pertinentibus, nomine cathedralici amplius, quam duos solidos presumant accipere, neque compellere Presbyteros, aut clerum parochiarum suarum, supra vires suas ei conuiua praeparare.“ Ante ista tempora, circa annum 494. \*\*\*) Gelasius Papa Fabiano Episcopo de cathedralico indicit, ut cathedralicum non amplius exigitur, quam vetusti moris esse constiterit, et, ut a presbytero eiusdem loci exigitur, praecipit. Simul etiam cauet, ne a consuetudine, omnibus ecclesiis praescripta, decadat in his, quae die dedicationis fuerint offerentium deuotione collata. Ex Gratiano ibi monetur, *cathedralicum*, hic intelligendum esse, quod auctoritatibus Pontificum episcopis exigere permisum esse statuitur, praeter medietatem, vel tertiam partem oblationum, quae etiam pro varia ecclesiarum consuetudine, ex praemissis auctoritatibus, episcopo debetur: nec illam partem oblationum omnium generaliter intelligendum.

\*) 10. qu. 2. c. 1. p. 274. ed. Iur. Can.  
op. Fr. Pithoeorum.

\*\*) 10. qu. 2. c. 4.  
\*\*\*) 10. qu. 2. c. 4. et s.

dum esse, sed vel anniuersariae Dedicationis, vel quorundam etiam solemnium dierum, prout inter episcopum et sacerdotem tempore dedicationis conuenisse constat. Cum his omnibus consentit *concilium* \*) Toletanum VII. c. 4. in Hispania circa annum 646. post N. S. celebratum. Prohibetur ibi, ne parochianae ecclesiae praegrauentur exactioribus episcoporum, quod saepe ad exinanitionem extremae virtutis ecclesiarum factum fuerit, nec amplius quid, quam duos solidos vnuquisque episcoporum per singulas dioecesis Basiliicas iuxta Synodus Bracarensem, annua illatione sibi expetat inferri. Insuper \*\*) *Pelagius*, antea nominatus, alia occasione de episcopo ciuitatis Syracusanae memorat, ipsum promisso, nunquam se a qualibet suae dioeceseos Presbytero ultra *duos solidos cathedratici* nomine petiturum, nec per quamlibet aliam occasionem quidquam in eius se dispendio esse gesturum. Post ea tempora circa annum 1218 aliud, sed eiusdem tenoris, reperimus *Honorii*, hac super pensione annua testimonium, ex quo patet, illis temporibus ab episcopis *Synodatici*, seu *Cathedratici*, nomine duos solidos esse recipiendos. Sub idem tempus ab *Innocentio III.* \*\*\*) constituebatur, ut circa donationes episcoporum, praeter *cathedraticum*, omnes prouentus in ecclesiae fructus conuertantur. De *Alexandro III.* †) circa annum 1180. legitur, ipsum prohibuisse, ecclesiae exactiōē imponi, praeter *cathedraticum*, et iura omnia, quae aliis ecclesiis imponuntur. Sub eodem ††) etiam prohibitum legitur, ne quis episcoporum pro Christmate aliquid nummorū exigat amplius, quod *cathedraticum*, aliquando paschalem praestationem, interdum episcopalem consuetudinem, appellare voluerit †††). Haec ne in posterum fiant, sub poena ordinis, et dignitatis certo amissurae, prohibuit.

## §. XVIII.

\*\*\*\*) 10. qu. III. c. 8. §. inter. caetera.  
Annuā hic *cathedraticum* nominatur pen-  
ſio. Nescio hinc, quid sibi velit CIR-  
ONIVS, scribens, quod episcopus *ca-*  
*thedraticum* urgente necessitate tantum  
exegerit. *Paratit.* p. 88. Sed haec sine  
auctoritate et fundamento afferit.

\*\*\*\*) *De offic. ind. ord. c. 10. conqueren-*  
*te oeconomico*

†) *De donat. c. 7. Pastoralis offi-*  
*cii*, vbi videatur CVIACIVS.

††) *De censib. c. 9. Cathedraticum er-*  
*go, et pia consuetudo, non damnatur,*  
*sed prava exactio. CIRONIVS ad Com-*  
*pilationem V. p. 15*

†††) *De Simon. c. 10.*

\*\*) 10. qu. 3. c. 10.

## §. XVIII.

*Cathedraticum hoc ad episcoporum munus respicit, quod triplex est.*

Haec sunt testimonia fere omnia, quae juris sacerdotalis et pontificii conditores scripta nobis, in *Corpo I. C.* reliquerunt. Ut tamen recte percipiatur, quo hoc cathedraticum, episcopis soluendum, respiciat, in vniuersum hic monendum, et sicco pede prætereundum non est, haec omnia ad episcoporum pertinere dignitatem, et munera. Ex populari legum canonicarum sententia *tria* huc referunt capita, omnem episcoporum potestatem constitutia, scilicet ordinem primo, deinde legem dioecesanam, et denique iurisdictionem. Ad ordinem refertur \*), ius docendi verbum Dei, et administrandi sacra. *Decret. P. III. de conséc.* dist. 1. cap. *sicut non alii.* Pertinet ad ordinem episcopalem, ius ligandi et absoluendi. Ius scrutinii, siue examinis: Ius denique ordinandi, introducendi, et inuestiendi, ut dicunt. *Decret. p. 2. Caus. 16. c. peruenit.* P. I. Dist. 24. C. quando C. præterea cum sequentibus extra de Iure Patron. Dist. 25. c. perlectis §. ad Episcopum. Referunt quoque ad ordinem episcopalem, ius aedificandi sacra loca, auctoritate propria, vel etiam indulgendi, ut alii aedificant. *Decret. P. 3. dist. 1. c. nemo ecclesiam.*

Ad legem dioecesanam pertinere volunt, dispositionem, administrationem, ac gubernationem rerum ac bonorum ecclesiae, tam mobilium, quam immobilium c. sic quidam seq. 10. qu. 1. Eorum, quae iniuste alienata sunt, vindicatio. Refertur eo canonica obedientia \*\*) ac subiectio, quam omnes tam Laici, quam Clerici, ex dioecesi episcopo præstare tenentur. \*\*\*) Constitutio prouisorum circa bona ecclesiastica, et rationum repetitio, inspectio in domus religiosas, quoad disciplinam et administrationem: †) (T. X. de relig. Domibus). Perceptio ac distributio decimarum: Retentio canonicae

\*) De quo superius paullo scriptum est. §. XIII.

\*\*) C. conquerente X. de off. iud. ord.

\*\*\*) 1. iulianus 14. c. de sacro sanct. ecclies.

†) C. decimas 16. qu. 7.

nonicae portionis, siue quartae: (c. conquerente X. de off. iud. ord.) Visitatio ecclesiarum \*) Conuocatio Synodorum in sua dioecesi, (c. annis dist. 15.). Nam indictionem concilii oecumenici ad summum Pontificem pertinere putant, pontificiis sacris addicti scriptores. Episcopus tamen in synodo dioecesana canones potest constituer, qui vim habent intra prouinciae suae fines, exceptis negotiis magni momenti, et quae fidem concernunt. Haec enim referuntur ad sedem apostolicam. Pertinet eo denique, ex nostris inprimis temporum moribus, functio cancellarius in Academiis, et reliqua.

Ad iurisdictionem \*\*) episcopalem pertinet episcopalis audientia, quam dicunt, secundum quam episcopus in tota sua dioecesi causas clericorum criminales et spirituales cognoscere, et per sententiam dirimere potest. In antiquioribus quidem, et superioribus saeculis, Clerici et Monachi coram iudice ciuili, quem saecularem dicunt, fororum habebant. (l. omnes 33. Cap. de episc. et Cleric.) Res vero omnis aliam deinde faciem induebat, vbi Principes et Imperatores, rei christiana professioni addicti, summa rerum potiebantur. Ex horum gratioso, in sacerdotes animo, atque propensa voluntate, omnes rem sacram administrantes, a foro ciuili arcebantur, atque episcoporum iudicio permittebantur. Episcoporum erat \*\*\*) poenas ecclesiasticas et canonicas decernere: clericos ab officio et dignitate suspendere: censuram ecclesiasticam exercere in omnes dioecesanos, tam laicos, quam clericos, quos dicunt: absoluere a iuramento illicito, et vi extorto: dispensare de gradibus, non iure diuino, sed canonico prohibitis, et quae sunt reliqua. C. si vero c. cum quidam X. de iureiurando. C. qui circa X. de conf. et affin.

## §. XIX.

*Summa episcoporum inspeccio: Episcopi ciuiles; Episcopi varia.*

Sed quorū haec omnia? Omnia ista eo pertinent, vt ex diuersis hisce episcopalī dignitatis atque muneris partibus, cathedratici modo

\*) c. relata cum seq. 19. qu. 1. c. cum p̄fsc. et cler. C. iurgantium X. de sententia Apostol. §. prohibemus X. de Censibus.

\*\*\*) C. presbyteri X. de poenis c. tua-

\*\*) l. cum Clericus 23. C. de e- rum X. de priuileg. et exceſ.

modo nominati vera ratio sine negotio eruatur. Episcopus scilicet in rebus sacris atque ecclesiasticis primas tenet partes, intra fines agri seu prouinciae suae, quo curet, ne detrimenti quidpiam ecclesia capiat, et ut omnia recte atque ex ordine gerantur. Hac de causa episcopus dicitur \*) *Superinspecto*r, *Inspecto*r, *Speculator*, *Custos*, vt omnia inspiciat atque custodiat, quae ad gregem sibi commissum pertinent, et in specula quasi semper sit constitutus, vt vigil sagacissimus atque fidelissimus.

Hoc nomine etiam in antiquissimis temporibus, a Graecis et Romanis salutabantur antistites rerum ciuilium, quod etiam \*\*) **MENARDVS**, Benedictinae disciplinae quondam alumnus, praeter alios viros doctissimos, monuit. Sic praefectus et custos vrbis, sic ille, qui pani, ceterisque rebus venalibus praeest, *episcopus* salutatur, inter ciues suos. Prius tradit *Harpocrat*ion, docens, Athenienses illum nominasse praefectum et custodem vrbis alicuius, ipsis subditae, qui ad eam, inspiciendi gratia, mittebatur, ea nimurum, quae a singulis ibi gerebantur. A Laconibus istum *Αρποσηνη* appellatum fuisse constat. Etiam apud *Plutarchum* in *Numa* mentio fit episcopi sacrarum virginum. De summo enim Pontifice scribitur, teste **MENARDO**, quod fuerit *επισκοπος των παρθένων ιερῶν*. Posteriorius illud, quod *episcopus*, venalibus rebus qui praeest, nominetur, in *I. vlt. ff. de munere et honore episcoporum* legitur.

In aprico itaque est, translatum fuisse illud nomen, ab illo discendi genere, in ciuitatem Dei, in qua \*) episcopus rebus diuinis et sacris, in vnaquaque ciuitate atque agro, praeest. Vti vero in rebus ciuibus, *curatio* et potestas varia et diuersa erat, ita idem illud accidit in rebus sacris. Observandum tamen est, veteribus *επισκοπήν* in ecclesia non fuisse nomen *dignitatis*, aut *potestatis*, sed *curationis* et *administrationis*. Hinc fiebat, vt *επισκοπή* illa, seu *curatio* ad profectos illos, seu ecclesiae presbyteros referretur \*\*), qui administrationem, rerum sacrarum atque ecclesiasticarum, suae curae commissam habebant,

\*) **H. MENARDVS** c. I. p. 560. **AMBROSIUS** de *Dign. Sacerdot.* c. VI. sup. **G. XIII.**

\*\*) Ad **GREGOR.** lib *sacr.* Opp. T. III. p. 225. et 759 vid. etiam **SVICERVS** in *Thes. Eccles.* I. p. 1178.

\*\*\*) **IVL. POLLVX** L VIII. c. 1.

†) **ISIDORVS PELVSIOTAE** Ep. CCXVI. L. III. p. 342. Olim tamen inter episcopum et presbyterum, vt constat, nulla erat differentia. **AET. XX.** 27. 28. Tit. I. 5. 7.

bebant, et ab illis distinguebantur doctoribus, qui in doctrina et oratione operam ponebant. Hoc pulchre conuenit cum graeco. Ibi enim in vniuersum ἐπίσκοπος nomen curae, solitudinis atque tutelae, non imperii atque potestatis erat; Iis vero temporibus \*), ubi *cathedralici* nomen et usus inualuit, episcopi nomen, et dignitatis atque potestatis, et curationis atque administrationis erat. †)

## §. XX.

*Cathedralici vera ratio; pro iis scilicet soluendum erat, quae ex officio erant expedienda.*

Vera etiam exinde cathedralici ratio aestimari potest, nisi me fallunt omnia. Ad cathedralam enim episcopalem quum summa sacrarum rerum agendarum et procurandarum, quatenus episcopus in urbe, et agro suo, procreationem rerum sacrarum habebat, recte referretur, potuit non fieri, quin multa opera, labor et studium in hac rerum administratione, et summa procreatione poneretur, sacrarum scilicet atque ecclesiasticarum. Praeter enim docendi munus, in doctrinam et mores commissi gregis episcopis erat inquirendum \*): ecclesiae visendae: reditus ecclesiastici administrandi: eorum rationes examinandae, aliaque. Pro his laboribus, suis temporibus conficiendis, ego quidem recteque existimo, quod episcopis *cathedralicum* dictum, a singulis ecclesiis fuit solutum, atque auctoritate pontificum, quin et legibus principum munitum et confirmatum, ita ut nulla ratione hoc pensionis annuae genus, episcopis soluendum, recusari et retineri ab ecclesiis potuerit: Videtur etiam huius rei umbra quaedam superesse, in partibus episcopalibus dignitatis inter puriorum sacrorum

E 2

eccle-

\* ) SVICERVIS in THESS. ECCLES. T. II. p. 1172. GISP. VOETIVS in Politica ecclesiast. P. III. Lib. I. Tr. II. C. II. p. 91. ubi episcopus visitator salutatur.

\*\*) Improprae reges fuisse episcopos dictos, iam supra in Praef. est monitum. Est etiam ἐπισκόπη, militare verbum, hinc dictum, quod qui se profiteret, ducem exercitus, ἐπισκοπεῖ, i. e. despiceret debeat ne quid desit vexilli sui militibus. Illes 52. v. 729. Erasin. in Ecclesiaste I. p. 47.

Graci etiam habebant ἐπισκόπους ἀγώνας, seu certaminum moderatores, quia propiciebant, ut omnia recte atque ordine agerentur. A Plutarcho, Suida, aliisque grece doctis viris, episcopus dicitur, qui ἐπόπτης, seu κατάσκοπος est. Vetus Scholia stes per ἐφόρες aut φύλακες interpretatus est ad HOM. Illes X. v. 235.

\*\*\*) BALSAMON ad Can. LVIII. Apostol. p. 263. Ad Can. XIX. Conc. Nicæen. II.

ecclesiae socios, quae \*) *Superintendentis* nomine et munere continentur. Nec sine ratione factum esse existimo, quod episcopi multis variisque nominibus insignirentur, ob plurimas scilicet variasque muneris ipsorum partes. Plurima collecta exhibet *Suicerus* \*\*), ex quo apparet, quod episcopus fuerit dictus  $\gamma\gamma\eta\tau\omega\varphi$ , Θεωρος, ιεροτελεσης, περιοδευτης \*\*\*), et quae his sunt similia. Quia itaque multa episcopis erant expedienda; quae *ex officio* ut dicunt, peragenda erant, non inique illis cathedraticum, in honorem cathedrae, per singulos annos soluebatur.

### §. XXI.

*Sententia mea confirmatur: Briffonius notatur. Quinam soluerint C. quaeritur?*

Confirmatur mea sententia ex eo, quod in *Canone II. concilii II. Braccarense* expressis verbis de *cathedralico*, episcopo, per *Dioeceses ambulanti*, soluendo, dicatur. Ergo episcopus per prouinciam suam ambulare, ecclesias inuisere, redditus ecclesiae curare, eorum rati-  
nes exigere, et reliqua administrare debet. Ergo illi etiam pro hac inspectione ephorali cathedralicum debetur. Forte etiam quotannis erat soluenda haec pensio, licet quotannis obambulatio ista exacte fieri non potuisset. Nam *cathedralicum*, honor cathedrae, appellatur, quo non tam labores episcopi erant compensandi, quam honor ipsi haben-  
dus, et reuerentia atque obseruantia debita p[ro]sta fuit. †)

In eo etiam plurimi rerum ecclesiasticarum scriptores conser-  
tiunt, quod cathedralicum fuerit, in honorem cathedrae, distributum;

Licet

\*) Multa illis *ex officio* esse expedienda et ZIEGLERVS, in *Superintende[n]te do-  
cet*, et *Corpus Iuris ecclesiastici Saxonici*, monet. Principes vero, pro *cathedralico*, varia immunitates et pensiones largio-  
res, quam reliquis verbi ministris, con-  
cesserunt, Superintendentibus plurimis, qui multis in locis Protestantium etiam nunc Episcopi salutantur

\*\*) In *thes. eccl[esi]ast.* T. II. p. 676. I. p. 1314. 1397. 1444.

\*\*\*) De nomine quilem περιοδευτης alii  
aliter sentiunt. Eruditam arque amplam obseruationem de hac appellatione nobis exhibet AEGIDIUS MENAGIVS in *A-  
moenit. Iur. Cia. C. XXV. p. m. 212-213.*

vbi quidem non episcopum, sed visitato-  
rem singulariem, intelligit per περιοδευτην.  
Forte alii aliter temporibus res se habuit,  
quae ad sensum meum hic non pertinet.

†) Videantur, praeter auctores iam ante-  
tia excitatos, LYNCKIUS de *iure episc.*  
c. 10. n. 65 BARBOSA de *iure eccl[esi]ast.*  
Lib. III c. 20. n. 10. vbi etiam taxa Ca-  
thedralici examinatur. De iure vero Ca-  
thedralici multa congesit: Renatus Chopi-  
nus L. 2. de *Sacr. polit.* Tit. 7. N[on]C. LE  
MAITRE lib. 2. de *Tributis et Censibus  
Episcop.* c. 2. 3. INNOCENT. CIRONIVS  
in *Paratit. Decret.* L. 5. tit. 39 qui lau-  
dantur etiam in hoc scribendi genere  
apud CAR. DU FRESNE p. 430.

Licet non examissim describant veram eius rationem, vsum et finem. Pauci admodum sunt, qui aliter sentiunt. Inter hos B. BRISSONIVS<sup>\*)</sup>, et, ex quo ipse hausit, vir quidam iuris peritus, fuit. Existimarent ambo, non in honorem cathedrae et vsum episcopi, sed ad *reparationem ecclesiae*, ut B. B. scribit, cathedralicum erogatum fuisse. Verba ita se habent: „Cathedralicum regulariter et communiter denotat id, quod Clerici suo Episcopo quotannis honoris cathedralis causa pendunt, hoc est, duos solidos, quos episcopo debent singulae ecclesiae. Idque vertitur in reparationem ecclesiae, non in honorem throni et cathedrae suae.“ Haec ille. Nec sine causa verba ipsius integra hoc transcripsi. Nonnulla enim hic sunt monenda. Primo enim, sine ratione statuit BRISSONIVS, cathedralicum ad reparandas ecclesias esse solutum. Auctoritates, ad quas prouocat, nihil huius rei confirmadae continent. Superiori loco (§. XVII.) etiam omnia rei capita in medium protuli, ex quibus sine vilo negotio consisci potest, nec leges principum, nec canones Conciliorum, nec Pontificum mandata, tale quid in se continere. Et quid opus erat, episcopo ad reparandas ecclesias, ex ecclesiarum fructibus, porrigeret cathedralicum? Nonne commodius meliusque erat, ecclesias suos reditus retinuisse secum, vt suo tempore reparatio, si quae erat, inde fieret? Quid pertinebat ad episcopum, quod ad ecclesias reparandas? Nonne etiam episcopo erant quaedam concedenda, ex ecclesiarum redditibus, vt haberet, vnde pro dignitate viueret, in primis cum ipsi etiam aliquid laboris, \*\*) ex ecclesiarum redditibus, seu fructibus, accresceret. Deinde arguendus est BRISSONIVS ea de causa, quia cathedralicum, dicit, honoris cathedralis causa esse solutum, et statim addit: *non in honorem throni, seu cathedrae suae*. Quam minus constans sibi est vir elegantissime doctus? Quod primo affirmat, deinde negat. Denique a nbigue scribit ipse primo: „Clerici soluebant cathedralicum:“, et deinde: ecclesiae singulae pendebant episcopo cathedralicum. Quinam fuere pendentes? An clerici, ex pensionibus suis annuis, an ecclesiae, ex suis fructibus?

E 3

fructibus?

<sup>\*)</sup> *De verb. signif. p. 105. edit. ITTERI. c. 21.* Episcopus ex his, quae de Cathedralico, vel ecclesiarum consecrationibus

<sup>\*\*) In rem meam quadrat, quae C. DU FRESNE excitat ex Arnoldi Lubec. L. III. 430.</sup>

Etibus? Nihil certi ex *Brissonio* liquet. Constat tamen ex fundamen-  
tis huius rei, ecclesias cathedralicum persoluisse, per manus forte cle-  
ricorum et presbyterorum. Hoc modo conciliari omnia facile pos-  
sunt, quae inter se, ex superioribus rem circumstantibus rationibus,  
pugnantia, et minus conuenienter scripta videbantur. †)

## §. XXII.

*Solidi duo qui fuerint: Cathedraticum an Synodaticum fuerit?*

Duo adhuc restant, paucis enarranda. Primo enim quaeritur  
loco, in qua nummorum summa cathedralicum hoc constiterit? Re-  
spondet quidem recte, ex canonibus, atque legum verbis, duos so-  
lidos fuisse quotannis persoluendos. Ex constitutione enim *Pelagii*,  
atque *Concilii Braccarense* II. can. II. placuit, duos solidos nomine  
Cathedralici venire. *Honorius* etiam edicit, duos\*) solidos esse per-  
soluendos in honorem cathedrae. Sed quaeritur, quales, cuiusque  
generis fuerint solidi? De hac quaestione inter se non consentiunt scri-  
ptores canonici iuris, et rei nummariae auctores. Doctissimus STRAV-  
CHIVS ex Compilatione V. ita se exprimente, respondet: *Duos so-  
lidos fuisse Lucensis monetae. MARQVARDVS FREHERVS censet,*  
monetam aeream fuisse in visu. Monet hic recte STRAVCHIVS \*\*)  
solidos fuisse, vel Francicos, vel Romanos: Ad normam enim atque  
similitudinem solidi aurei, qui sub *Constantini M.* successoribus duode-  
cim milliariensis aestimabatur, percussisse Francos argenteos, quos  
duodecim denarii aestimasse perhibent. Viginti solidi, pergit ille,  
faciebant libram argenti, ut Romani, sexaginta milliarienses. Solidus  
ergo Francicus erat milliariensium trium. Sed de hac solidorum ra-  
tione amplius non erit disceptandum a nobis, sed auctoribus rei nu-  
mariae res omnis erit relinquenda \*\*\*).

Altera

†) Insigne erat beneficium, vbi ecclie-  
iae a *cathedratico* isto persoluendo libe-  
rabantur, quale a CLEMENTE VI. 1346.  
templo O. S. Vitebergae concedebatur.  
Vid. M. FABERS Nachricht von dieser  
Kirche C. III. p. 52.

\*) Nec augendus erat ille census, in  
honorem cathedrae reddendus, DESSELII  
*Erotem.* I. c. p. 378. Non sine fructu et-

iam hic legitur CIRONIVS in Parat. Tit.  
XXXIX. p. 270.

\*\*) In amoenit. Iur. Can. II. Eccl. IX. p. 70.

\*\*\*) Plura qui desiderat nosse, audeat  
GRONOVIV de Seßert. Lib. III. c. 6.  
GVIL. BVDAEVVM de Assē et partibus  
eius Lib. V. p. 393. sq. edit. A. RECHEN-  
BERGII. GASSENDIVM in vita Peiresci  
p. 73.

Altera quaestio circa cathedralicum nostrum haec est: Num cathedralicum fuerit Synodaticum? Ita videtur nonnullis, nec defunct scriptores, hanc quaestionem affirmantes. In hunc censum, BOEHMERVS \*), ZIEGLERVS, aliqui sunt referendi. Sed quantum ego perspicio, res satis non liquet. Ex verbis enim Honorii, antea iam descriptis, (§. XVII.) nihil horum apparet, vbi scilicet interpretatione recta et magis certa, synodaticum et cathedralicum non coniungit, sed disiungit, adeo scilicet, vt duo solidi pro \*\*) synodatico, si synodus habentur, et duo solidi pro cathedralico soluantur. Prohibetur scilicet, in utroque casu, super praescriptos solidos, nihil nummorum ecclesias soluere. Si qui tamen aliter senserint, sentiant: sed rationes etiam sententiae suae proferant, quam adhuc desideramus.

## §. XXIII.

## Conclusio.

Haec sufficiant, ex antiquis temporibus, in primis medii aevi consuetudine, de cathedralico dixisse. Constat ex his omnibus curam habuisse principes, et ecclesiae proceres, vt ecclesiae non onerentur, ultra modum: vt Clerici et Presbyteri honorifice alantur; vt episcopis etiam pro dignitate vivere daretur, atque lubentissime concederetur. Apparet vero etiam ex his omnibus, tantas opes in cathedras episcoporum non confluxisse, quantae nostris temporibus in eas converguntur. Melioris fortis tempora nobis summum Numen concedat, quod exoptamus, vt cathedralicum large iis erogetur, qui, verbum Dei, artes et scientias, docentes, in superioribus et inferioribus cathedralis, rei publicae omni consulere recte videntur, quo inter pacis nunc recuperatae tempora, virtus non cathedralica, sed vera, exsurgat, aliosque radices in dies feliciter agat!

Et

\*) Vtrumque etiam confundit I. HILDEBRANDVS de iuribus episcopalibus §. XXVIII,

\*\*) Plerisque etiam hoc cathedralicum cum iure visitationis, quasi unum idemque esset, confundunt, quos tamen INNOC. CIRONIVS recte reprehendit, atque rationes afferit, quae suadent, cathedralicum omnino a iure visitationis esse diuersum. In Paratit. p. 268. sq. Ibi mon-

netur, antiquitus portionem quartam decimaram vel oblationum episcopis pro cathedralico fuisse datam. Postea tamen ipse CIRONIVS cathedralicum cum Synodatico, et Paschali praestatione confundit, quod perperam fecit. Ibid. p. 269. sub finem. Deinde tamen recte obseruat, hoc cathedralicum omnino diuersum fuisse ab illo, quod entronisticum dicitur. et a procurationibus, quae ad viaticum pertinebant, p. 270.



**E**t haec habui, quae de Cathedratico scriberem. Plura addere non licuit. Diflento enim mihi laboribus, non nisi raro contingit, his deliciis literariis frui. Interea non est, quod mireris VIR SVMME VENERABILIS, me, de cathedra alienum, de Cathedratico commentari. Ad TE pertinet VIR EXCELLENTISSIME, totum hoc argumentum, tota haec dissertatio, ad TE, inquam, qui ex Cathedra sacra, ad coronam in coetu sanctiori splendidissimam, reipublicae illustris, verba facis. De Cathedra doctrina TVA, cœu fulgur, maleuolorum aciem perstringit, et ad plurimas prouinciarum partes penetrat. Et, quid amplius? perinuitne ad TE VIR SVMME VENERABILIS, cathedralicu m vbi, aliquot abhinc annis, cathedralam episcopalem nostræ professionis religiosæ, apud Hildesenses exornabas? Quin etiam beatus pater meus de cathedra sacra docuit, et in cathedra episcopali antistes rerum sacrarum in urbe, cui nomen est\*) Episcopi ab insula, per tredecim fere annos, regia auctoritate constitutus, sedet. Adhaec, et, quod maximum est, mearum iudicauit esse partium, ut grates TIBI persoluam debitas. Publice de gente mea, VIR EXCELLENTISSIME, ut ita dicam, meritus es. Publice iam testificari liceat, quantum apud me ponderis habeat beniuolentia VIRI in tanta celebritate versantis. Laetus nempe sum quam maxime, et adhuc laetor, TE, VIR SVMME VENERABILIS, in animaduersionibus tuis criticis et philologicis, et quidem P. III. p. m. 783. beati parentis mei memoriam tam honorifice recoluisse. Gratulor cineribus, quos pie colo, de Praecone tam egregio. Gratulor mihi, cui tam insigne patris optimi monumentum intueri contingit. Accipe VIR EXCELLENTISSIME cathedralici loco hunc libellum leuidensem: Accipe vota animi, venerationis, gratitudinis, pleni! SVMVS ILLE RERVM ARBITER, qui TE in cathedralm ecclesiae amplissimam in republica patria collocauit, TIBI sit optimum felicissimum cathedralicum. Sit TIBI praemium laborum largissimum. Seruet et circumdet TE sua custodia per longam annorum seriem in cathedra honoris. Gentem TVAM celeberrimam, et ab antiquis inde temporibus splendidam propaget, propagatam augeat, auctam perpetuo fortunet! Secundet DEV'S secundas TVAS nuptias, faustamque ac felicem esse iubeat, Sociam vitae coniugalis prænobilissimam, lecissimam! Largiatur TIBI natos eruditiois TVAE et virtutis aemulos, TEque non nisi post grandaeuam senectutem ad cathedras beatorum auocet. Dab. Lipsiae Cal. Ianuar. Anno post. repar. sal. MDCCCLXIV.

\*) Bischofswerda.







Farbkarte #13						B.I.G.
Centimetres	1	2	3	4	5	6
Inches	1	2	3	4	5	6
Blue						
Cyan						
Green						
Yellow						
Red						
Magenta						
White						
3/Color						
Black						

C. 18. num. 28.

CAROLI GOTTLÖB KOCHII D.

P.F.

# CATHEDRATICO LIBELLVS SINGVLARIS

A II

# VIRVM SVMME VENERABILEM

IOANNEM DIETERICVM  
WINKLERVM

S. S. THEOL. DOCT. PAST. AD DIVI NICOLAI

A E D E M , E T S C H O L A R C H A M , H A M B U R G I .



L I P S I A F

LITTERIS IO. CHRIST. LANGENHEMII